
P r a e f a t i o.

Progedior ergo ad exsequendam demandatam mihi a bibliopola prouinciam, egregium atque omnium applausu coronatum opus B. MVRRAYI, Collegae olim coniunctissimi, continuaturus, in quo quidem labore vestigia antecessoris preesse sequi, et, quas ille sibi praescripserat leges, religiose obseruare mecum constitui; eo enim consilio B. Vir suum exarabat apparatus, vt non selectam modo medicamentorum penum enarraret, non salutares modo commemoraret virtutes, sed ex eius mente hic apparatus debebat complecti, nisi omnia, plurima tamen, et nunc et olim a medicis adhibita remedia, cuicunque nunc rationali aut empirico, pathologico et therapeutico systemati fuerint adstipulati; debebat esse codex, in quo reperias in ordinem quendam digesta haec omnia siue simplicia, siue composita et praeparata, cum subnexo iudicio, in experientia atque argumentis,

mentis, quae lux nostris temporibus scientiae naturali ac salutari plenius affulgens suppeditat, fundato, in quo inuenias etiam noxas, a variis corporibus homini imminentes et illatas descriptas, exemplis illustratas, vna cum medela, cuius vsu praeuertere ac tollere illas possis.

Ita initium faciens a medicamentis minerali regno attributis, omnia, praeter argentum viuum, quod alterum volumen explebit, sub hoc militantia, hic sisto, in recensendis metallis, quod rei natura suadere mihi videbatur, iis potissimum, quae inter venena non immerito fuere relata, arsenico, cupro, plumbo, et decantato tantopere a chemica medicorum secta antimonio omnino fusior.

Nomina adieci tum ea, quae iam dudum in officinis valent, tum ea, quae ab auctoribus, qui illa medicamina inuenierunt aut commendarunt, ipsis fuere imposita, tum systematica, ex LINNABI scriptis petita, tum chemica vtriusque systematis, vt unusquisque pro suo ingenio et persuasione vti tanto facilius hoc libro possit. Dabam e museo d. 29.

Mart. 1795.

I. TERRAE